cymbam impellit, quæ blandientibus innocentiæ Zephyris adolescen-
tiā audacior vela explicat, interea dum in altiori Iuventutis
mari navigatur littus paulatim subducitur, immutatur serena
rebellantium sensuum tranquillitas, hinc immoderatus superbiæ Auster
immenso ambitionis turbine velis insultat, illinc præceps pro-
cella Aquilones ita urgent, ut nihil expectandum sit quam in sin-
gula momenta deprendenda ratis vanitatis fluctibus sepe-
liatur, raptus iam constantiæ malus, abreptum rationis guber-
naculum, vela fiduciæ lacera, nihil nisi desperationis voragi-
nes atque eminentes scelerum scopuli apparent, tu quid miser
ages? cuius opem implorabis, num à fluctibus misericordiam petes?
non audiunt, num cælum? fremit, num littus quæres? non licet, quo
igitur te vertes? respice stellam, voca Mariam, intuere
quam sola tot inter nubes, furente pelago, sævientibus ventorum
flatibus, stellarum facibus extinctis, toto cælo nubibus involuto,
aspice quam blandè refulgeat. si cælitibus tuorum precum vota
non audiuntur Mariam obsecra, si ad littus appellere vento-
rum impetus non sinit Mariam invoca, si fatali superbiæ
turbine in vanitatis scopulos impelleris Mariam cogita.